



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

96. Fer 6. De Fuga Discipulorum, fuga adolescentis, captivatione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

158 FERIA 6. DOM. 3. QUADRAG.

4. A præjudicio prophetiæ: *Quomodo ergo implebuntur scriptura, quia sic oportet, fieri?* Matth. 25. talia oportet evenire. Quod scripturis debeo, solvam, præsertim Passioni Dominicæ, ut SS. ejus affectibus implear, et subijciar: Calicem à Patre præparatum accipiam: nam & hoc modo implebuntur Scripturæ, si etiam minora propter Deum feram, si in omnibus justificationibus exercear, dicendo ad omnem inspirationem Dei: *Quid sic oportet fieri.* Ideo *Patientia Domini in Malcho vulnerata est,* ait Tertull. de Pat.

MEDITATIO XCVI.

FERIA 6. DOM. 3. QUADRAG.

De Fuga Discipulorum, fuga adolescentis, captivazione Christi.

Aspiciam D. IESVM ab omnibus derelictum, manus in vincula porrigentem. Petam declinare fugam Discipulorum, amare fugam adolescentis, & vincula Christi.

Conf. I. Quomodo tunc relicto eo omnes fugerunt, non quando manus injectæ in IESVM, sed quando tantum dixerat: *Hec est hora nostra.* Proh! ad quam pudendam fugam timor impulit Apostolos! itane Dominus, Pater, Magister, & Dux meus, omnique bonum meum derelinquitur? fugiunt infelicis arma inimicorum, sed non effugiunt stimulum,

lum, & conscientiae remorsum: & quidem, fugit Thomas, fugiunt filij Zebedaei, sed & ille *Discipulus, quem diligebat Iesus*, fugit: imò & Petrus. Quantum interest inter florem, & fructum, inter verba, & rem! nemo vincula, quae sunt prodromus mortis, admittit nisi spe vitae melioris: majori gratia hic opus est, & prolixiori oratione. O quoties ego fugi à Christo, à propositis meis!

Conf. 2. Fugam adolescentis, qui non potest esse Ioannes: quia si relicto Christo *omnes fugerunt*, igitur & Ioannes. Fuit adolescens ille aliquis horti custos, de quo Marc. 14. ad indicandam trepidationem circa Christum ab omnibus derelictum juxta Prophetas, ipsiusque Domini prophetiam. Hic apparet, quomodo egissent cum Apostolis, si eos cepissent. Prudens fuit adolescentis illius fuga: quia oportet relicta sindone, id est, amore rerum, honorum, delectationum, & sui ipsius, profugere. Qui sic relicta sindone fugit, hunc tegit Christus, qui abiicit opera tenebrarum, induitur armis lucis, inquit Nazian. contra Arianos.

Conf. 3. Cohors autem, & Tribunus, & ministri Iudeorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum, & tenentes Iesum duxerunt & adduxerunt Annam primum, &c. Mos erat Iudeis, quem morte dignum judicaverant, vinciri:

160 *Sabbato Dom. 3. Quadrag.*

ciri: itaque Christum comprehenderunt: sed ab eo longius recesserunt: ligaverunt à quò potius solvi debuerant. O quales manus fuerunt illorum facinorosorū, quas injecerunt in eum: & quid tum actum fuit cum IESU illâ viâ! Sed verbum DEI non est alligatum, neque manus ejus abbreviata. Da Domine odisse fugam Discipulorum, amare fugam adolescentis, amare vincula tua, vincula salutis, legem, consilia; qui sic vincētus est Domino, adducetur ad Hierusalem cœlestem.

MEDITATIO XCVII.

Sabbato Dom. 3. Quadrag.

Septem Christi vincula, septem alterationes Matris DEI.

Contemplabor Divam novis doloribus circumcinctam, & ut piscem natantem in mari tribulationum. Petam eas intelligere, ipsique compati.

Vineulum Christi 1. In utero 9. mensibus captivari.

2. Pannis & fascijs stringi.

3. Manibus impiorum colligari.

4. Manibus Iudicum constringi.

5. Ad flagella.

6. Ad clavos.

7. Sindone involvi.

Cum quoties quis peccat, toties liget Christum,